

D. O. M.

DE MANUS LUXATIONE.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

§. I.

UOT ufibus & quàm variis gaudeat manus quotidiana probat experientia. Quemadmodum autem ceteræ corporis humani partes fuos experiuntur morbos, ità & manum diverfi lædunt affectus. Prolixior foret fingulorum enumeratio. Enim verò fi folam attendamus luxationem, quæ accidentium congeries! Non omittemus tamen delibare luxationes in genere fpectatas, Quo ad propofitum quafi per gradum defcendamus.

II.

Aggredientem dicere de manû ejuſque morbis juvabit imprimis manûs Anatomiam pernoſcere. Quapropter quæſtionibus circa hanc partem verſantibus reſpondere conabimur; ut exploratis priùs omnibus quæcunque ad rem ſpectant, facilior ac tutior curationis via ineatur, prævià & veluti duce Anatomicâ manûs expoſitione.

III.

Admissa ſemel corporis humani diviſione in truncum & extremitates, quæ quidem extremitates duplicis ſunt generis, ſuperiores nempè & inferiores, manum inter primas agnoſcimus. Hæc autem tribus conflatur partibus, carpo ſcilicet, metacarpo & digitis. Infinitas præterea partes animadvertere eſt, quas omittemus ſatius ducentes illas verbo quam ſcripto exponere.

I V.

Primùm quidem obſervandum venit quid per manûs luxationem intelligi debeat. Definitur autem ab optimæ notæ Authoribus dimotio aut ſeparatio carpi à cavitate ſeu ſede naturali.

V.

Luxatio poteſt eſſe completa vel incompleta; modò quoque ſimplex eſt, modò compoſita, modò complicata; aliundè etiam cùm manus moveatur intùs, extùs & lateraliter, quot motus admittit, tot patitur luxationum ſpecies.

V I.

Non parvi res eſt momenti ſtatuere quænam ſint luxationum ſpecies ac differentiæ. Quo in caſû prudentem Magiſtrum decet explorare morbi eſſentiam, attendere ad ætatem tùm laborantis, tùm ipſiuſmet luxationis, cauſas cognoſcere, accidentia perſpicaci oculo intueri. Ex his obſervationibus mirum quanta oriatur ad medelam facilitas, quibus è contra neglectis, curatio ſorti magis quàm arti commiſſa videtur.

VII.

Visû & tactû ut plurimùm dignoſcitur manûs luxatio; niſi maxima adſit partis inflammatio, quâ viſus & tactus in errorem aut in dubium poſſint induci.

VIII.

Qualem ſortitura exitum luxatio; brevi ne an longo temporis ſpatio obtinenda ſit perfecta ipſius curatio, ut dijudicetur, operæ pretium eſt perpendere ſpecies ac differentias.

IX.

In curandâ manûs luxatione, natura multum efficit; Chirurgia naturæ opitulatur.

X.

Ex parte Chirurgiæ tria potiſſimùm requiruntur. Primum in eo conſiſtit, ut manus affecta in ſtatû reponatur naturali. Quo pacto autem reponi queat explicabimus. Secundum eſt ut repoſita contineatur, tertium denique præſentia coerceantur accidentia, adhibitis pro re natâ remediis, quibus etiam futura *præcaveri poſſint.*

Has Theſes, Deo Juvante, & Præſide M. FRANCISCO-MICHAELE DISDIER, Artium & Chirurgiæ Magiſtro, Scholarum præpoſito regiæque Chirurgorum Academiæ conſiliario *tueri conabitur* Nicolaus Fromont, *Lotharingus in almâ Univerſitate Pariſienſi, Artium liberalium Magiſter,*

De Lorraine

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Sabbati 24. Decembris, à ſeſqui ſecundâ poſt meridiem ad ſeptimam, Anno R. S. H. 1763.

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGISTERII LAUREA.

Typis P. Al. Le Prieur, Regii Chirurg. Collegii Typographi.